

Disputatio Circularis, Exhibens Problema Morale : An Detur Principium Juris Naturalis Verum, Primum, Vnicum, Adæquatum, Et Euidens, Nec Ne?


Rostochii: Typis Nicolai Schwiegerovii, [1703]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002280494>

Druck Freier  Zugang



RU jurist. 1.Dec.1703
Siebrand, Joach. Henr.





39
29. a
579.
54
J. H. S. & G. M.
DISPUTATIO CIRCULARIS,
Exhibens

PROBLEMA
MORALE,
AN DETUR PRINCIPIUM JURIS
NATURALIS VERUM, PRIMUM, VNI-
CUM, ADÆQUATUM, ET EUIDENS,
NEC NE?

Quod
In florentissima Rosarum Alma
PRÆSES

JOACHIMUS HENRICUS

S S B R A N D /

U. J. D. & Moral. P. P.

RESPONDENTE

GABRIELE MAUERSBERGER,
Colbergenf.

IN AUDITORIO MAXIMO,
Publicæ, placidæque disquisitioni subjeciet
d. 1. Decembr. A. R. S. clæ 1703.

ROSTOCHII, Typis NICOLAI SCHWIEGEROVII, Ampl. Sen. Typogr.

J. S. B. M.
DISTRIBUTION OF CHOCOLATES
PROBLEMA
MORALE
AN BEYUN...
NATURALS...
COM...
JOACHIMUS HENRIGUS
GABRIELE MAUERBERGER

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

Q. B. V. D.



Ubrum Disputationis præsentis Circularis, vel fugitio saltem oculo percurrens, L. B. si quando ex illorum es numero, quibus, contra vulgatum, lectio lecta displicet, decies autem repetita nauseam plane excitat, in limine statim subsistes, eandemque abjicies. Quod si autem, prout fieri debebat, ad materiei gravitatem summam, & ipsius Thematis quod proponendum, haud leue pondus respexeris, quod sane inter quæstiones Sabbathicas haud immerito retuleris: *Juris enim naturalis indolem explicare, satis difficile est, cum res illa in sensus haud incurrat, ac variis adeo Scriptorum sententiis subiecta, sunt verba Dni. Titii in observat. ad Pufendorf. tractar. de Offic. Homin. & Civ. Lib. 1. Cap. 3. Observat. 77. p. m. 116.* aliud longe feres iudicium. Equidem haud diffitemur, dum præsens problema plurimorum doctissimorum hujus sæculi viro- rum ingenia admodum exercuit, & hi ipsi in eodem enodando adeo variant, vt cui sententiæ tuto inhæreas, non vnus moueri possit scrupulus, τὸ ἐπιχειρῆν nobis iure merito obiiciendum, & lubentissime acceptandum: Cum tamen sit in magnis & voluisse satis, neque hætenus nisi sparsim hanc ipsam materiem tactam deprehendere licuerit, examen autem plenius mereri nobis visum, quid humeri valeant ferre, quid vero recusent, tentabimus. Ne autem absque omni procedamus ordine, problema propositum a parte subjecti examinabit Cap. I^{mum} a parte Prædicati Cap. II^{dum} & III^{tium}. Velit summum Numen, quod ab initio statim supplices veneramur, conatibus nostris adesse, nosque in omnem deducere veritatem.

A

CAP.

CAPUT I^{mum}.

Tradit, quidnam sub nomine Juris Naturalis contineatur.

§. 1.

Discussionem dum promittimus Problematis, an detur principium Juris Naturalis, (quod ipsum a jure Naturæ differre notat *Dn. Mevius in prodrom. Jurisprud. Gent. commun. Dispect. 2. §. 5. p. m. 60.*) & quidem verum, primum, vnicum, adæquatum & evidens, nec ne? facile patet, nos de ipso jure naturali haud inquisituros, anne scil. hoc detur, nec ne, cum superuacaneus videri posset labor, ab aliis ita deducta atque explosa, vt nullum amplius superesse possit ne quidem Archelao vel Aristippo, Pyrrhoni vel Aristoni, vel qui sic satis notus; Carneadi dubium, iterum iterumq; apponere velle. Quamuis nec hodie deesse Juris naturalis existentiam negantes, aut in dubium vocantes, vtique mirandum, si non dolendum. Conf. *Dn. Mevius Prodrom. Jurisprud. G. C. Dispect. 2. §. 2. p. m. 46.* Operæ tamen erit pretium, præmittere quæstionem præliminarem, non minus quam nostram vexatam, atque dubiam, quodnam scil. & quale jus sub nomine Juris Nat. contineatur? Et quidem (1) haud parum controuertitur inter eruditos, anne Jus Gentium sit idem cum Jure Nat. an vero ab eodem differat? Sunt qui hæc jura prorsus eadem esse, nec discrepare a se inuicem volunt. Vid. *Auctor Element. Jurisprud. Lib. 1. Defin. 13. §. 24. seqq.* quem citat *Becman. in Meditat. Polit. Cap. 2. §. 8.* conf. *Pufendorf. de J. N. & G. Lib. 2. Cap. 3. §. 23.* Alii hæc jura a se inuicem differre defendunt, non tanquam species oppositas, sed subordinatas, ita vt quidem vtrumque jus ex recta ratione dependeat, jus Gentium tamen ex necessitate & vtilitate humana præcipue enatum. Vnde communiter Jcti jus Gentium distinguunt in primæum

3

mæuum & secundarium, facta applicatione, quod illud idem sit cum Jure Naturali, hoc vero ab eodem differat, conf. *Bachov. ad S. 2. J. de J. N. G. & C. n. 3. Mev. Prodrum. J. G. C. in Spect. 5. S. 15. p. 313. in fin. sequ. Franzk. Exercitat. 1. qu. 5. n. 1. seqq. ad n. 9. Pomeresch. ad S. 1. & 2. verb. Jur. Gent. ad tit. J. de J. N. G. & C. Hopp. Commentar. 1. ad d. tit. S. 1. de quibus distinctionibus judicare vanum dicit Brunneman. ad l. 1. S. 3. & 4. de J. & J. n. 10. in fin.* Alii non solum Jus Gentium, sed & Jus Naturale distinguunt in primæuum & secundarium, ita ut Jus Nat. Secundarium, & Jus Gentium primæuum pro iisdem habeatur. Et quidem Jus Naturale primæuum ipsis est, quod naturæ humanæ statim ab initio innotuit, & cum origine generis humani; secundarium, quod natura docet homines per illationem consequentiæ certæ, siue illa petatur ab effectu, siue a causa efficiente, siue finali. Jus Gentium secundarium est, quod ab hominibus inventum, & mentis quadam agitatione per ratiocinationem excogitatum, vsu scil. & necessitate exigente, conf. pluribus *Ziegler. ad Grot. de J. B. & P. Lib. 1. c. 1. S. 10. p. m. 51. sequ. Schiller Manud. Philos. moral. ad Jurisprud. Cap. 9. S. 28. p. m. 386.* Quibus & nos subscribimus.

§. 2. (2) Disceptatur an jus diuinum morale sit idem cum jure naturali, an vero ab eodem differat? Communior quidem est sententia, quod jus diuinum morale seu Decalogus, & jus Nat. non nisi promulgandi ritu differant. Conf. *Dn. Stryk. in not. ad Lauterb. ad tit. de J. & J. verb. essentialis differentia.* Alii distinguunt inter jus Nat. ante lapsum in statu integritatis, & post lapsum. Illud nil aliud volunt esse quam Decalogum, & absolute dicunt perfectum: hoc vero secundum quid saltem perfectum, conf. *Osiander ad Grot. Lib. 1. cap. 1. ad §. 10. Obs. 5. & Cap. 2. ad §. 6. Obs. 1. Thomas. Institut. Jurispr. Divin. Lib. 1. Cap. 2. S. 61. in not. & in Dissertat. proœmial. S. 48.* Alii differentiam constituunt inter jus morale

rale naturale, & jus morale positium, quam probat *Osiander de Sabbath. sub tit. de moralitat. Sabbath. §. 22. p. 79.* quem citat *Dn. Strykius ad Brunnem. J. Eccles. Lib. 2. Cap. 1. membr. 1. ad §. 8. p. m. 297.* *Scherzer in Systemat. Theolog. Loc. 27. §. 6. p. m. 769. in fin.* *Ziegler in not. ad Grot. de J. B. & P. Lib. 2. Cap. 5. §. 9. p. m. 271.* ibique allegat. Quorum sententiæ calculum quoque nostrum adjicimus, saluo contra sententium iudicio, quorum auctoritati nos nil quicquam detractum volumus, cum satis videatur patere, evidensque tertium præceptum haud simpliciter, conf. *Mev. Prodr. J. G. C. inspect. 1. §. 12. p. m. 21.* neque etiam decimum præceptum ad jus morale naturale spectare, conf. *Scherzer in System. Theolog. Loc. 7. §. 9. p. 154.* *Thomas in Dissertat. proëm. J. J. D. præmissa §. 47. p. 51.*

§ 3. (3) Grauis & maxima inter Ddres intercedit controuersia, an jus diuinum *Leuit. c. 18. & 20.* prohibitiones nuptiarum exprimens, idem sit cum jure Nat. an vero ab eodem differat? Cum jure hoc diuino tanquam morali exacte juris Nat. prohibitionem consentire asserit *Ziegler ad institut. Jur. Canon. Lib. 2. Tit. 13. §. 10. verb. Constitut.* (quem vna cum aliis allegat *Dn. Menkenius in Gymnas. Polem. Jur. Diss. 30. §. 15. p. 219. lit. d.*) jung, in not. ad *H. Grot. Lib. 2. Cap. 5. §. 13. p. m. 277. seq.* Omnesque prohibitiones nuptiarum in gradibus jure diuino memoratis juris naturalis esse, asserit *Dn. Coccejus in dissertat. de principio Jur. Nat. unic. ver. & adequat. §. 4. in fin.* huic quoque sententiæ accedere videtur *Ordinat. Consistor. Megapol. tit. 8. vers. Gleichwie nun die zehen Geboth* conf. *Dn. Titius in observat. ad Pufendorf. tract. de Offic. homin. & Civ. Lib. 2. Cap. 2. Obs. 496. p. m. 512.* Alii *Leuit. Cap. 18. ad jus diuinum vniuersale referunt*, inter quos *Lauterb. ad tit. ff. de J. & J. circ. fin. verb. vniuersale*, quod commodius dici jus morale positium vult *Dn. Stryk. in Not. ad Lauterb. d. l.* conf. ejusdem nota ad *Brunnemanni J. E. L. 2. c. 16. §. 25. verb.*

Gentiles

Gentiles etiam obligarunt, ubi ita: *Morales ergo dixerim illas prohibitiones, quia DEUS illos gradus non intuitu populi Judaici sed totius generis humani prohibitos esse voluit: Naturales tamen, exceptis ascendentibus & descendentibus, non dixerim. Consentit Pagenstecher in Responso Juris, ipsius Benedictor. Libro annexo p. m. 223. seqq. jung. Menken. Gymnas. Polem. jur. d. Diss. 30. §. 15. p. m. 219. lit. e. ubi tradit, non male nodos ex Leuit. c. 18. colligatos soluere, qui in eo juris diuini vniuersalis vestigia deprehendi existimant. In quorum castra & nos, saluo itidem contra sentientium iudicio, transimus, cum fati videatur euidens, ad minimum haud omnes gradus d. Leuit. c. 18. expressos, ex solo lumine Naturæ patere; & vt exemplo saltem vnico thesin nostram illustremus, prohibitum legimus d. Leuit. c. 18. vers. 9. & Cap. 20. v. 17. matrimonium inter fratres & sorores: Sororem tamen in vxorem ducere in se & sua natura malum non esse, nec pugnare cum jure naturæ primæuo, ipse fatetur Ziegler ad Grot. Lib. 1. Cap. 1. §. 10. p. m. 53. Accedit & hoc, quod si quando incestus inter fratres & sorores Juri Naturali simpliciter aduersaretur, statuendum quoque nos omnes ex incestuoso coitu natos, imo quod magis, necessario nascendos fuisse, cum haud alii quam fratres & sorores initio creati mundi conjungi potuerint. Becman. in Polit. Parallel. Cap. 2. §. 7. p. m. 434. pr. conf. Struwe S. J. C. Exerc. 29. §. 48. ibi: Licet ipsi juri naturæ hac non aduersa videatur. Scherzer in Systemat. Theolog. Loc. 27. p. 709. in fin. seq. Pufendorf. de J. N. & G. Lib. 6. Cap. 1. §. 34 sequ. Cumberland de Legib. Natur. Cap. 8. §. 9. p. m. 466. Schilter manu duct. Philos. moral. ad Jurisprud. Cap. 4. §. 46. p. m. 181. circ. fin. Quod ipsum quoque ad incestuosum concubitum inter parentes & liberos extendit Dn. Thomasius in J. J. D. Lib. 3. Cap. 2. §. 22. seqq. ubi prolixius deducit, nullum incestum juri naturali aduersari: A quo tamen prout notum cõmuniter dissentiunt Ddres, conf.*

Becman. Meditat. Polit. Cap. 7. §. 13. Grot. de J. B. & P. Lib. 2. Cap. 5. §. 12. n. 5. Dn. Vitriarius in Inst. Jur. Nat. & Gent. Cap. 5. qu. 20. Titius in Observat. ad Pufendorf. de O. H. & C. Obs. 496. p. 512.

§ 4. Jus Naturale autem de quo nos quærimus, (talem de principio ejusdem inuestigaturi sententiam, quæ ex vni-
co rectæ rationis lumine deduci potest, neq; tantummodo in
verbo diuino reuelato fundamentum quærit, id quod ad fo-
rū spectat Theologicū) cōmune aliquod est vniuersi humani
generis vinculum, & jus quod omnes in vniuersum homines
nemine plane excepto (siue ethnicus fuerit, siue Christianus, si-
ue notitiam Juris Diuini positiui habuerit, s. non) absque vlla a-
liqua expressa seu promulgata diuinitus Lege, ad parendum
adstringit, atque obligat: quod cuique homini ætate matura,
mentisq; suæ compoti, ac integra ratione gaudenti perceptu
facile est. De quo *Cicero de LL. Lib. 2.* Erat ratio perfecta a
rerum natura, & ad recte faciendum impellens, & a delicto
auocans, quæ non tum denique incipit lex esse cum scripta est,
sed tum cum orta est. Orta autem simul est cum mente diui-
na, quam obrem lex vera atque princeps, apta ad iubendum &
vetandum, ratio est recta summi Jouis. Et in *Oratione pro Mi-
lone*: Non didicimus, legimus, accepimus, verum a natura
ipsa arripuimus, hausimus, expressimus, ad quam non do-
cti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus. H. J. Conf. *A-
nonymus* sic dictus *Jctus Evangelicus* in monitis ad *Dissertat.*
Dn. Strykii de Jure Sabbathi P. 1. C. 1. §. 10. Circa hujus legis
fontem seu principium eruendum diuersissimas Ddres Juris
Naturalis eligunt vias, ita vt pars hæc Juris Nat. quæ prima
principia respicit, maxime intricata, multisque inter se diffi-
dentium strepitibus impedita merito dici possit. Unde pro-
gredimur ad

CAPUT

Visuri, an detur principium Jur. Nat. verum, primum, vnicum, adæquatum, & evidens, nec ne.

§. I.

DE principio dum quærimus J. N. vero, primo, vnico adæquato, & evidenti, in sensus quasi incurrit, maximas Ddrum dissensiones, & diuersas plane opiniones inspicienti, (de quibus in subsequentiis prolixius agemus) respondendum videri posse, illud ipsum haud dari: Veritatem enim non nisi vnicam esse notissimum, & qua ratione evidens potest dici, quod grauissimis contradictionibus obscuratum? Conueniunt tamen in eo omnes, principium J. N. tale quale innuimus dari: & quod magis, quilibet dissentientium principium quod assumit, pro vero, primo, vnico, adæquato & evidenti venditat. Mirum sane, hoc ex quo alia omnia debebant esse certa, incertum, multisque disputationibus obnoxium reddi. Ast ferendum, quod mutari nequit, & laborandum, quo ad necessariam naturalium legum certitudinem perueniamus. Et quidem prius inquirendum, quodnam dicatur principium verum, primum, vnicum, adæquatum, & evidens. *Verum* h. l. principium dicitur, quod non continet propositionem aliquam falsam, id est cujus contradictoria est vera, vel quæ rarissime in exemplis procedit, describente *Dn. Thomasio in J. J. D. Lib. I. Cap. 4. §. 4. Primum* principium h. l. vocatur, ex quo omnia Juris Nat. præcepta vltimo per legitimæ consequentiæ Leges inferuntur, atque in illud deniq; iterum resoluuntur, vid. *Dn. Coccejus in Dissertat. de princip. J. N. vnic. ver. & adæqu. §. 10.* Notat tamen *Dn. Thomasius* principium Juris Nat. primum, duo alia, DEO & imperanti esse parendum, tanquam generaliora præsupponere, quia J. N. sub

sub jure diuino, jus diuinum autem demum sub jure in genereprehenditur, in *7. J. D. d. Lib. 1. Cap. 4. §. 1. Vnicum*, consequens est veritatis, cum vnus rei non sit nisi vnica veritas, neque duplex & contradictoria veritas detur. *Adequatum* principium dicitur, vnde omnia rite inferri possunt, seu, quod omnia J. N. præcepta sub se continet, nec alia tamen præcepta quam Juris Nat. *Thomas, d. 1. §. 5. Euidens* tandem principium h. l. nobis est, tam quod voluntati diuinæ conuenire, abstrahendo tamen à lumine reuelato, ex primo principio pratico potest demonstrari, quam cum quo connexio Conclusionum adeo euidens, vt fere palpari possit. *Thomas, d. 1. §. 6.* Quod ipsum præ reliquis videtur ad principium nostrum necessarium, cum leges Naturæ homini agenda præscribant, quæ dirigi nisi juxta manifestam normam haud possunt.

§. 2. Hisce præmissis, diuersas de principio hoc assumimus Ddruum opiniones, citra tamen ordinis præjudicium pro libertate methodi. Sunt (I) qui docent fundamentum Juris Nat. consistere in conuenientia cum ordine & fine creaturarum, vt scil. sciamus in quo ordine quæque res creata, eademque in illo ordine, ad eum finem, ad quem creata est, vtamur. Vnde tale formandum foret principium Juris Natur. *Quicquid conuenit cum ordine & fine Creaturarum, illud Jure Nat. præceptum, quicquid non conuenit, prohibitum.* Cum autem post lapsum primorum parentum vltum ac ordinem omnium creaturarum difficillime, & non nisi per vmbra cognoscere valeamus, volunt, secundum gradus amoris actiones humanas examinandas. Vid. *Dn. Thomas, in dissertat. de fundamentor. definiend. caus. matrimon. insufficient. §. 18. seqq.* Alii (II) jus mundi & ejus ordinem tanquam principium Juris N. ponunt, cujus fundamenti auctor (Anonymus, sed prout latina operum ejus editio, quæ prodiit Roterodami

terodami Anno 1680. indicat, notante *Dn. Palthenio in Dissertat. Moral. de obligat. Rei ad sanction. pœnal. §. 2.*) *Lambertus Velthuyssus* Medicus Belga, qui anno sæculi præcedentis 51. Dissertationem edidit Epistolicam tecto nomine, de principiis justitiae & decori. Vnde talis enascitur Regula: *Quaecunque natura sua ita sunt comparata, ut finem à DEO in creatione mundi intentum impediunt, illa omnia Jure Nat. prohibita sunt, sine quibus vero iste finis obtineri nequit, illa omnia Jure Nat. imperata*, d. *Dissert. p. 14.* allegante *Dn. Thomas. d. Dissertat. §. 87.* ubi ostendit differentiam hujus hypotheseos à præcedente, §. 88.

§. 3. Alii (III) principium Juris Nat. communem omnium Gentium obseruantiam constituunt, vel etiam plurimum, ad minimum moratorum. Vnde facile formari potest Regula: *In quodcumque omnes consentiunt gentes, vel plures, vel moratiores, illud Jure Nat. præceptum, & contra.* Neque deficere videtur ratio: quia vniuersalis effectus vniuersalem requirit causam, talis autem existimationis causa nulla alia videtur esse præter sensum ipsum communem, conf. *Vitriar. Institut. Jur. N. & G. Cap. 1. qu. 20.* Et ubi multi diuersis temporibus ac locis idem pro certo affirmant, id ad causam vniuersalem referri necesse est, quæ si recta illatione ex naturæ principii procedit, jus Naturæ indicat. *Grot. de J. B. & P. Proleg. §. 40. & Lib. 1. Cap. 1. §. 12.* Alii (IV) principii loco ponunt naturam ipsam, ad quam volunt respiciendum, eamque excutiendam; naturam autem intelligunt non ut per corruptam progeniem & improbos mores nunc est deprauata, sed quæ primitus concreata est integra ac incorrupta: hujus Leges esse scrutandas, multumque referre, nosse, vnde descuerimus, decereque contendere vicissim, vnde dilapsi. Prout pluribus deducit *Dn. Meuius in Prodom. J. G. C. Inspect. 3. §. 16. seqq.* ubi refert cognitionis hujus impedimenta, eorumque

B

rumque

rumque remedia. Idem intendere *Dn. Alberti in Compendio Juris Nat. orthodoxa Theologia conformato*, sic satis notum, ut & quænam inter ipsum & *Dn. Pufendorffium* aliosque ratione hujus principii intercesserint controuersia.

§. 4. Alii (V) primum Juris Nat. principium ponunt in eo, ut quisque vitam & membra sua tueatur quantum potest, quorū *Antesignanus* celebris ille *Anglus Thomas Hobbes* in tractat. *de Ciue* Cap. 1. §. 7. qui statum naturæ vult esse statum belli: In statu enim mere naturali, inquit, siue antequam homines vllis pactis sese inuicem obstrinxissent, unicuique licebat facere, quodcunque in quoscunque libebat, & possidere, uti, frui omnibus quæ volebat, & poterat, *de Ciue*, Cap. 1. §. 10. exponit hoc in sequentibus clarius: Status hominum naturalis, antequam in societatem coiretur, bellum fuit *d. l. §. 11.* Alii (VI) primum Juris Nat. principium faciunt voluntatem & jussum Creatoris, id quod integra Dissertat. prosequitur *Dn. Coccejus de principio Juris Nat. unico vero & adequato.* Cui jungendus *Henr. Ern. Kestnerus in prudent. Jur. Nat.* (vid. *Acta Eruditor. Lipsiens. de Ao. 1698. mens. Octobr. p. 485.*) ut & *Job. Voet. in Commentar. ad ff.* vid. *Acta Erud. Lips. de Ao. 1699. mens. Nov. p. 504.* Alii (VII) ex præceptis Noachicis Jus Naturæ deriuant, uti Hebræi, de quibus *Seldenus de J. N. & G.* quem in compendio exhibet *Dn. Buddeus in Synopsi Jur. N. & G.* Alii (VIII) quæ communior est Sententia, principium primum in Societatis custodia & Socialitate quærun, inter quos primus, magnus ille *Hugo Grotius*, Juris Naturalis restaurator, in tractatu *de J. B. & P.* (qui maxima alacritate passim exceptus, & tam Theologorum quam Jurisconsultorum, & Philosophorum commentariis illustratus, a Pontificiis tamen in expurgatorium indicem Ao. 1627. d. 4. Febr. relatus) huic jungendus *Pufendorff. de J. N. & G. Lib. 2. Cap. 3. §. 14. & 15. it. in tractat. de Offic. homin. & Ciu. Lib. 1. Cap. 3.*
Thomas.

Thomas. in J. J. D. Lib. 1. Cap. 4. Vitriar. in Instit. Jur. N. & G. Cap. 1. qu. 20. Schilter in manu d. Philos. moral. ad Jurispr. Cap. 3. §. 6. p. m. 84. aliq. Et quidem Regulæ hujus principii formantur tales. Fac ea quæ necessario conveniunt cum vita hominis Sociali, & quæ eidem repugnant, omitte. Vel ita: Quicquid necessarium habet cum conseruatione generis humani nexum, illud est Jure Nat. præceptum, & quicquid necessariam cum ea disconuenientiam inuoluit, id est eodem jure prohibitum. Seu clarius: Quicquid tale est, ut eius ommissio vniuersalis leu omnium hominum, si quando fingatur, tollat necessario nexum generis humani, ejusque destructionem inferat, illud est Jure N. præceptum: Et quicquid tale est, ut si fingatur ab omnibus hominibus fieri, eundem destructionis generis humani effectum producat, illud est Jure Nat. prohibitum. Ex hac Regula resultat alia. Cujuscunque actus exercitium ab omnibus hominibus introductum & præceptum, ita est comparatum, ut inde Societati humana fata maturentur, ille actus necessario Juri Nat. repugnat, adeoque in numero vetitorum est: Et contra: Cujuscunque actus exercitium ab omnibus hominibus ommissum, ita est comparatum, ut inde Societati humana interitus expectandus, ille necessario Juri Nat. conuenit, adeoque in numero præceptorum est. Vbi autem necessaria ejusmodi ad naturam humanam habitudo deficit, nulla quoque Juris Nat. dispositio datur, sed actus istiusmodi tanquam Jure Nat. indifferens liberé, quoad prohibitionem Juris Nat. suscipi & intermitteri potest. conf. Dissertat. Wernheri de Apodictic. moral. certitud. §. 6. seqq.

§. 5. Alii (IX) principium primum Juris Naturalis in philautia & Socialitate constituunt, quatenus nec philautia Socialitati, neque hæc illi subordinanda, sed vtraque in æquilibrio consistat, ac propter generis humani conseruationem requiratur: quam tuetur Sententiam *Dn. Titius in Obseruat. ad Pufendorf. de O. H. & C. Lib. 1. Cap. 3. Obseru. 78. p. m. 120. sequ.*

Obs. 79. p. 134. Plures vt omittamus Ddorum opiniones, dum supremo has tetigisse digito sufficiet. Et quidem alii ex sola vtilitate, conf. *Pufendorf. de J. N. & G. Lib. 2. Cap. 3. §. 10. & II.* alii ex cultu diuino, *Nitschius in Elem. Jurispr. univers.* alii ex amore DEI & hominis, *Hopperus de art. jur. Lib. 1. Hugo de Roy de eo quod iustum Lib. 1. tit. 3.* alii aliunde principia Juris Naturalis deriuant. Sed quid in tanta Ddorum incertitudine statuendum? Apparet sane hinc, verissimum esse Jctorum effatum, quod naturalis sit hominum ad dissentiendum facilitas. Restat ergo, vt quænam allatarum Sententiarum præcæteris assensum mereri nobis videatur, adhucdum examinemus, & quidem partim per remotionem, partim per positionem, id quod præstabit

CAPUT III.

Nostram exponens Sententiam.

PRimam Sententiam præcedente Cap. 2. §. 2. adduximus eorum, qui volunt, fundamentum Juris Naturalis consistere in conuenientia cum ordine & fine Creaturarum. Ast cum facile adpareat, hanc ipsam haud suppeditare principium (a) *verum*, quatenus exinde inferri potest, Jus Naturale etiam in bruta & reliquas creaturas omnes cadere: Jam autem Jus in creaturas ratione carentes cadere haud posse, exinde videtur sat firmiter concludi (1.) quia juris nemo capax qui ratione caret. Conf. *Becman in meditat. Polit. Cap. 4. §. 9. Selden de J. N. G. & C. L. 1. Cap. 4. §. 5.* Vbidocet, nec Hebræos ejusmodi jus hominum & brutorum commune agnouisse (quamuis negari haud possit, thesin hanc quam maxime controuersam esse, & speciosum dubium *Roder. de Arriaga Disp. Phys. 7. Sect. 6. Subf. 2.* rationem scil. brutorum difficilem esse negatu, agi enim de actu existente in bruto, de quo nos nullam habere possimus experientiam, Respondet tamen

Becman

Becman. in P. P. Cap. 2. §. 3. in fin. Jesuita Rorarius plane asserere, quod bruta melius utantur ratione quam homo, & peculiari Scripto hoc confirmare conatus fuit. Conf. *Dissertatio Lodereri, de jure bestiali. Ungepauer Exercit. 2. quæst. 1. in Ajo.* vbi plures allegat. *Plutarchus* in libello quem inscribit, *Bruta ratione uti*, qui tamen ad finem haud est perductus.) (2.) quia bruta quicquid agunt ex mero agunt impetu & instinctu naturali; illa autem quæ ex impetu fiunt naturali, pro jure naturali haberi non posse, ex impetu naturali ipsorum hominum ad voluptates, ebrietatem, calumnias &c. apparet, conf. prolixius *Dn. Thomasius in Dissertat. de fundament. defn. Caus. matrim. in suff. §. 36. seqq.* (b) dicta Sententia non suppeditat principium *adequatum*, quia non omne quod ordini Naturæ aduersum est, repugnat Juri Naturæ, quod per subsequencia exempla probat *Dn. Thomas. in d. Dissertat. §. 42.* Ordo, inquit, naturæ humanæ est, vt ore loquatur, manibus operetur aliquid, cibo per os in stomachum assumpto, corpus nutriat, excrementa per partes posticas ejiciat. Quid magis huic ordini aduersum est, quam per alium assumere alimenta, per os ejicere excrementa ciborum? Et tamen juri Naturæ non repugnat, si gutturis inflammatio prohibeat cibi assumptionem per os, hominem nutrire per clysteres, neque repugnat vomitum medicamentis prouocare. Vt de manibus taceam, quæ scribendo oris vices supplent. H. J. Accedit, quod non suppeditet principium (c) *euidens*, vnde posito, verum esse principium, non tamen concessio, posito, esse adæquatum, non tamen tale esset, quale quærimus, dum aperte euidencia deest, quatenus, id quod ipsi fatentur dissentientes, quam maxime obscurum, & difficiliori disquisitioni obnoxium, quid sit, & in quo consistat natura humana, conf. *Thomas. d. l. §. 43.* Dum autem amorem substituunt loco fundamenti juris Nat. videtur conuenire Sententia hæc cum il-

lorum asserto, qui ex Socialitate Jus Nat. deducunt, quatenus Socialitas est amor humani generis. Idem dicendum de (II^{da}) Sententia, de jure mundi & ejus ordine, scil. neque illam evidentem, quin potius obscurum per æque obscurum exponentem, dum haud liquido & distinctè intelligi potest, quam necessariam relationem singula juris Nat. præcepta ad finem in creatione mundi a DEO intentum habeant, cum ille ipse finis nondum sat dilucide designatus, conf. *Pufendorf. de J. N. & G. Lib. 2. Cap. 3. §. 12.* Et quamvis aliquantulum clarius mentem suam in eo exponat Velthuysius, quod conseruatio sui ipsius, & ordo naturæ ipsi æque late pateant, exinde tamen, quod DEus homini indidit curam se conseruandi, non præcise sequitur, nec firmiter satis concluditur E. hæc cura est fundamentum & genuinum principium Juris Nat. Quatenus enim in sui conseruatione haud acquiescit homo, sed alium intendit finem, nim. amorem aliorum hominum seu socialitatem, cui potius inseruit cura se conseruandi, hinc socialitas potius fundamentum juris Nat. dicenda, quam cura sui ipsius, vid. *Thomas. d. Dissertat. §. 89. seqq.*

§. 2. (III.) Quod spectat principium §. 3. Cap. præced. a nobis adductum, neque hoc verum esse, neque satis evidens, exinde patecet, quia haud produci poterunt omnibus populis ac gentibus per æque placentia. Quis enim nouit omnes gentes? & cognitarum quis nouit leges aut mores? & earum, quarum leges & mores nouimus, quænam est discrepantia, & sæpius a naturalibus aberratio? Si quando ad maiorem gentium numerum prouocaueris, neque hoc ad æquatum est Juris Nat. principium, quia discrepantia, imo contraria reperiuntur instituta celebrium populorum. Accedit, quod nulla videatur dari posse gens, quæ nudo jure Nat. regatur sed quælibet leges scriptas aut non scriptas habet superadditas: Vnde non certo licet perspicere quid illæ nationes

nes pro naturali, quid pro positivo jure habuerint, cont. *Pufendorf. de J. N. & G. Lib. 2. Cap. 3. §. 7. seqq. Mevius Prodr. J. G. C. inspect. 3. §. 6. seqq. Becman. P. P. Cap. 2. §. 6. p. 429. seqq. (IV.)* Principium in se quidem sat firmum, veritate certissima suffultum, sed omnibus indistincte hominibus, etiam illis, qui nullam plane habent notitiam verbi divini reuelati, euidens haud esse, is facile concedet, qui perpendit, de statu integritatis, imagine Dei, ejusque Sanctitate, vel nihil, vel confusa saltem ex lumine Naturæ hauriri posse, quin potius Scripturam S. vtramque hic facere debere paginam. Nos autem memores in foro Philosophico nos versari, & fundamentum sententiæ alicujus, in illis, quæ rationem nostram plane fugiunt, eique minime patent, sed ad meram fidem spectant, in verbo diuino reuelato ponere velle, ad Dominos Theologos pertinere, eorumque inquisitioni relinquendum esse, ne quando *μετάβασις ἢ ἀλλο γίνεσθαι* videamur committere, fora distincta confundere & separanda conjungere velle, distinguimus inter hominē in vera religione jamdum *καταχόμενον*, & in quo igniculi honestatis, præeuntibus vel parentibus, vel præceptoribus Christianis, jam clarescere cœperunt: Et hominem rudem omnis justitiæ & religionis, ethnicum aliquem, qui discrimen naturæ integræ & corruptæ nondum agnoscit. Illum quam felicissime, atque omnium certissime, secundum Regulam à Dno. Alberti aliisque cum ipso sentientibus præscriptam, erudiri posse, lubentissime concedimus, hunc autem de discrimine honesti atque turpis, boni & mali, justi & iniqui, secundum præscriptum Juris Nat. informari posse, negamus, cont. *Schilter in manu duct. Philos. moral. Cap. 3. §. 6. p. m. 83. in fin. sequ. jung. omnino Titius in obseruat. ad Pufendorf. de O. H. & C. Obseru. 7. p. 44. sequ.*

§. 3.

§. 3. (V^{um}) Principium veritati haud conuenire, pluri-
 rimi jamdum eruditi ostenderunt, neque fictione tali opus,
 neque norma hæc, secundum quam brutorum instinctus re-
 guntur, hominis præstantiæ conueniens. Vnde pro genui-
 no principio, quale nos quærimus, haberi nequit, cont. *Dn.*
Thomas. J. J. D. Lib. 1. Cap. 4. §. 19. Pufendorf. Specim. Con-
trou. Cap. 1. §. 6. Menkenius in Hobbes. Epicureismo passim.
Schilter manud. Philos. moral. ad Jurispr. Cap. 4. §. 15. sequ.
 (VI^{um}) Principium verum quidem & adæquatum esse ad-
 mitti potest, non tamen homini cuius euidens satis est, cum
 voluntatem & iustum Creatoris ex solo rationis lumine o-
 stendere, plurimis difficultatibus implicatum, proindeque
 in foro nostro, juxta superius adducta, principium hoc haud
 admittendum. Idem de principio (VII^{mo}) iudicium esto,
 quatenus Jus Naturale Noachidicum non ex rationis hu-
 manæ vsu, sed Numinis Sanctissimi imperio siue indicatione
 deriuatur. cont. *Buddeus in Synops. Jur. Nat. & Gent. juxta di-*
sciplin. Ebraeor. p. m. 4 quod ipsum jus diuinum, etiam mora-
 le, a naturali jure distinguendum, supra notauimus *Cap. 1. §. 2.*
quæst. 2. in fin. p. 4. (VIII.) quod spectat principium, neque hoc
 primum esse, nec verum, nec adæquatum, haud pauci vrgent:
 quorum argumenta paucissimis adducemus, cum contraria
 juxta se posita magis elucescant. Et quidem objiciunt huic
 sententiæ (1.) quod ex custodia humanæ societatis nulla, nec-
 dum omnis obligatio, quæ omnes homines vinciat, atque
 obstringat, oriatur. (2.) Custodia humanæ societatis per se ni-
 hil contineat, nisi communem hominum vtilitatem, huic
 commodo autem renunciari posse, vel pro arbitrio de eodem
 disponi, nisi vis alia sit obligans, quæ nulla alia esse possit nisi
 DEUS: Si hoc, E. principium obligationis in solo DEO, non
 in custodia societatis consistere. (3.) Si hoc principium socia-
 litatis præsupponatur, omnem tolli differentiam inter Jus
 Nat.

Nat. & jus Gent. secundarium, quod Gentes itidem ad communes suas vtilitates & necessitates constituerunt. (4) quod vtilitas totius humanæ societatis temporibus variari possit, prout ergo Jus Gentium mutatum, vid. *Dires ad tit. J. de R. D.* ita & Jus Nat. eidem fundamento subnixum, dum ad rationes societatis humanæ exigitur, mutari posse, adeoq; non esse jus constans, æternum & immutabile. (5) Locis quoq; variaret Jus Nat. si sequeretur vtilitatem societatis humanæ, locis variantem. (6) Jus Nat. incertum tunc & penitus indefinitum esset, quoniam custodia illa variis modis, remediis, ac legibus fieri, ac defendi potest, prout in ciuitatibus contingit, quarum custodiam illi populi, inter quos eadem est vtilitatis & securitatis ratio, diuersis legibus regere, ac tueri possunt, & solent. (7) ex hac societatis humanæ custodia inferri posse, quæ turpia sunt, & a jure naturali abhorrent, vt promiscuos concubitus, cum hi ad augendam, propagandamq; societatem plurimum conducant. (8) custodiam societatis humanæ impotentem nimis esse ad vinculum juris injiciendum, & obstringendum religione eum, qui suis viribus confidit, (v. g. Regem viribus suis satis potentem) eoque tuto injuriam facit. (9) quod etiam Jus Nat. sit extra societatem, prout patet in eremitis, & congenitum primo homini ante societatem omnem fuerit: multa quoque sint, quæ hominem extra societatem informant, atque obseruari debeant, nec tantum, quæ homo homini, vt in societate est, debet, sed & quæ extra eam decora, aliqua, quæ erga DEum, aliqua, quæ erga se ipsum natura, non habita societatis ratione, indiderit, vnde & contra naturam extra societatem peccetur: vt hinc non possit principium juris videri, quo sublato jus maneat. (10) quod ex hoc principio saltem prohibitio homicidii, latrocinii, & paucorum similium deduci possit, reliqua extra hujus principii fines posita, vnde non adæquarum. Sic ex sola societatis custodia per veram legalemque consequentiam demonstrari non posse v. g. (a)

C

ince-

incestum, (b) promiscuos concubitus, & adulteria, (c) Sodomiam, (d) polygamiam, (e) bellorum solennitates. (ii) concludere quidem licere, ea quæ pro societate hominum naturali necessaria, iusta esse, quæ ei contraria, iniusta: At ea sola esse iusta, aut iniusta, vltra hæc non alia, absurde dici, ideo nec congrue pro Societatis cultu solo jus datum.

§. 4. Quoad (IX) principium, philautiam, seu officia hominis erga seipsum, socialitati subordinandam esse, verius videtur, quatenus officia hæc, quibus homo occasione sui ipsius aliis obligatus, ex socialitate itidem possunt deduci, conf. *Thomas. J. J. D. Lib. 2. Cap. 2.* Ad reliqua autem quid sit dicendum principia, ex superioribus facile patere potest. Vnicum adhuc restat, vt calculum quoque nostrum adjiciamus: Vbi quidem quam lubentissime, si quando liceret, suspenderemus votum, cum facilius sit dicere, quid res non sit, quam quid sit. Et sane, si dicendum quod res est, ab vtraque parte argumenta haud leuia, auctoritate magnorum virorum suffulta deprehendi, haud negamus, proindeque nos talem allaturos sententiam, cujus veritas omnibus & singulis adeo clare pateat, vt ipsi contradici nequeat, promittere haud possumus. Idem ergo nobis, quod aliis, obuenturum, satis liquet. Paucis tamen, antequam mentem exponamus nostram, ea, quæ jam superius tacta, præmittimus, nos versari in foro Philosophico, in quo quærimus principium aliquod Juris Naturalis, juri diuino positiuo contradistincti, & quidem adeo euidentis, vt cognitio ejusdem in omnes, etiam de vulgo sanæ mentis cadat. Cumque ad hoc ipsa socialitas nobis quam maxime videatur quadrare, cum homo citra societatem non possit esse beatus, ipseque DEus homines formarit sociales, ac studium socialitatis omnibus innatum, Regulis superius *Cap. 2. §. 4. n. IIX. p. II.* adductis, saluo rectius sentientium iudicio, juxta libertatem, in qua viuimus Academicam, subscribimus, eorumque sententiam nostram facimus, qui volunt, aduersus hominem rudem omnis justitiæ & religionis, & qui discrimen naturæ integræ & corruptæ nondum agnoscit, nihil prius, nihilque potius vrgendum, nihilque ab eodem facilius admittendum videri, quam hominis naturam esse socialem: ex quo fonte juris & justitiæ originem repeti, & totam disciplinæ

disciplinæ hujus seriem produci debere, jamtum Philosophorum antiquissimos tradidisse, optime monuit *Boeclerus in Prolegom. ad H. Grot. de J. P. & P.* quem citat *Schilter in manucl. Philos. moral. ad Jurispr. Cap. 3. §. 6. p. m. 84. pr.* Et quò veritas thesèos nostræ eo magis pateat, videbimus, ane argumenta §. præcedente statim 3. in contrarium adducta, tanti sint ponderis, vt nos a sententia nostra dimouere possint, ane vero clarior veritatis lux nobis præluceat; sed omni affectu seposito, aculeatisq; verbis plane & in perpetuum relegatis.

§. 5. Et quidem ad argumentum (1) videtur responderi posse, quia socialitas est inclinatio communis, toti humano generi à DEO indita, tanta, vt citra eam homo non possit esse beatus, (quod ipsum in se satis clarum, nec prolixiori deductione indiget, conf. tamen *Dn. Thomasius J. J. D. Lib. 1. Cap. 4. §. 55. seqq.*) ex custodia humanæ societatis omnino obligationem oriri, quæ omnes homines qua tales vinciat, atque obstringat, nisi studio omnem velint humanitatem exuere, vel etiam praua educatione, & consuetudine, aut præconceptis falsis opinionibus & dogmatibus iudicium animi fuerit deprauatum. Ad (2) Resp. dum custodia societatis humanæ atque socialitatis, comūnem continet hominum vtilitatem, huic commodo æque renunciari haud posse, atq; vsui rationis renunciari nequit. Natura enim hominis rationalis eadem est quæ socialis, & dum hominem rationalem dicimus, idem est ac si dicamus socialem, neq; ratio citra socialitatem se exerit. Quod si autem quæras, quænam vis sit obligans ad ipsam socialitatem? Respondemus, vtique ad ipsum DEUM recurrendum: manet tamen principium nostrum nihilominus primum juris Naturalis, licet non sit primum juris diuini, quia talem quærimus propositionem, sub qua reliqua præcepta Juris Nat. omnia, tanquam sub comūni axiomate comprehenduntur, illud ipsum autem generalius hoc, DEO esse parendum, præsupponere, supra jam indicauimus *Cap. 2. §. 1. ibi primum: p. 7. inf.* Ad (3) Resp. nihilominus differentiam manere inter Jus Nat. & Gent. in eo, quod Jus Nat. longe antiquius Jure gentium: gens enim immediate non prodiit cum homine, adeoque illud Juris Gentium esse dici nequit, quod immediate cum genere humano absq; vlla ratiocinatione exortum: Accedit & hæc differentia, quod Jus Nat. ex rationis luce enatum, Jus Gent. vero ex ratiocinationis ductu collectum, & vsu exigente ac-

commodatum non tam naturæ bonitati, quam ejusdem necessitatibus, conf. supra *Cap. 1. §. 1. quest. 1. p. 3.*

§. 6. Ad (4) Resp. vtilitatem totius humanæ societatis temporibus variari haud posse: Dum enim DEUS hominem animal sociale creauit, & propterea Jus Nat. ipsi concreauit, quamdiu hominis naturam non mutat, tamdiu Jus Nat. quoque haud mutabitur, conf. *Vitriarius Instit. Jur. Nat. & Gent. Cap. 1. qu. 18.* Et concessio licet, Jus Gent. mutari aliquando posse, vel non amplius nos obligare, exinde tamen ad Jus Naturale argumentari haud licet, cum à diuersis haud fieri debeat illatio, conf. *Schilter manud. Phil. mor. ad Jpr. Cap. 3. §. 9. p. m. 88.* Ad (5) quid respondendum, ex responsione, ad argument. 2. & 4. data, desumi potest. Ad (6) Resp. itidem à diuersis minus firmam fieri illationem, cum Jura Ciuitatis dependeant ex ratione aliqua Ciuili & particulari, Jus Nat. ex ratione naturali & vniuersali. Ad (7) Resp. negando, ex socialitate, ejusque Regulis propositis, promiscuos concubitus, & vagas libidines inferri posse, quin potius contrarium exinde inferendum satis patet. Regulam superius *Cap. 2. §. 4. n. IIX. p. 11.* suppeditauimus talem: Cujuscunque actus exercitium ab omnibus hominibus introductum & receptum, ita est comparatum, vt inde societati humanæ fata maturentur, ille necessario juri naturali repugnat, adeoque in numerum vetitorum referendus. Fingas jam, in vniuersum id receptum, vt omnes homines membra generationi destinata solius libidinis exercendæ gratia sibi data crederent, (prout pessime philosophatur Anglus quidam *Thomas Albius, in Institution. ethic. anno 1660. Londini editis, seu Statuta morum, prout vocat, aptis rationum momentis librata, Tom. 1. Exam. 2.* quem citat *Schilter manuuct. Philos. moral. ad Jurispr. Cap. 4. §. 45.*) eiq; vsui vnice adplicarent, anne putas tranquillam & beatam inter homines societatem subsistere posse, vel anne tunc potius societati humanæ fata maturabuntur? Perpendas, ac mente reuoluas, quid rixarum oriturum inter mares circa feminas formosas, qui adhuc frequentius quam tauri inter se forent committendi: Et quod magis, pensites, ac æqua lance trutines, quam inepta ad propagandam speciem, ista plurium seminum confusio, & vaga libido. Quanta sit prægnantis feminae imbecillitas, & alieni auxilii indigentia, sic satis notum est. Sed quis marium opem feret, nisi

nisi ex se pręgnantem norit, quod sine connubio, & in vaga libidine sciri vix ac ne vix quidem potest. Porro, humanę prolis educationem laboriosam simul & sumtuosam, cui femina vnica vix sufficit, experientia omnium optime docet. Quis autem marium, prolis, quam suam nec nouit, nec scire potest in vaga illa licentia, curam suscipiet? Cum ergo sine legibus connubialibus familię, sine familiis ciuitates intelligi nequeant, apertum erit & liquidum, citra connubia hominibus agendam vitam segregem, & paulo minus quam beluinam. Veritati ergo minus congruum, id quod obieciatur, promiscuos concubitus ad augendam propagandamq; societatem plurimum conducere. Conf. *Pufendorf. de J. N. & G. Lib. 6. Cap. 1. §. 5. Titius in Obseruat. ad Pufendorf de Off. Hom. & Civ. Obseruat. 474. p. m. 495. & Obs. 478. p. 497. Dissentit Dn. Thomas. J. J. D. Lib. 3. Cap. 2. §. 144. seqq. vbi §. 149. & 150. quasdam format instantias, v.g. aliquam ex cibo & potu capere iucunditatem, lucrum aliquod per mercaturam acquirere, ludere &c. rebus indifferentibus añumerandum, societatem tamen humanam haud dubie damnum passuram, si illis rebus solis, & vnice homines darent operam. Hęc tamen regulam, prout a nobis proposita, non videntur infringere, cum talem haud pręsupponamus actum, qui semper ab hominibus fit, absque villo alio actu interueniente, sed fingimus ab omnibus hominibus actum fieri v. g. libidinosum, & tunc quando fit, merę libidinis explendę causa. Deinde neq; per hos actus societati humanę fata maturabuntur.*

§. 7. Ad (8) Resp (1.) voluntatem quoq; & iussum Creatoris, (inter ipsos, quod deplorandum, sic dictos Christianos, prout quotidie experimur) impotentem nimis esse ad vinculum juris injiciendum, & obstringendum religione eum, qui viribus suis confidit, eoq; tuto injuriam facit. E. nec hoc principium (quales enim pręmissę, talis sequitur conclusio) verum, atque adęquatum. (2) Si quando ponamus regem, viribus suis satis potentem, tuto injuriam facientem, omni societate humana destitutum, & ab omnibus propter injuriam illatam derelictum hominibus, sane amor socialitatis, & quod absque hac miserrima Regis hujus futura vita, sat potens erit ad vinculum juris injiciendum, & obstringendum religione eum, qui suis viribus confidit. Termini ergo pręsupponendi sunt habiles. Probe enim ratione principii nostri notandum, ad hoc, vt determinetur, vtrum actus conseruationi natura



turæ humanæ necessario nexu adhæreat, an ab eadem disconuenientia quadam abhorreat, non considerandum eundem indiuidualiter & separatim, vt existimes, quia vtut eo à te suscepto non periclitetur generis humani conseruatio, inde nec eum necessario illi disconuenire, adeoque contra Jus Nat. haud esse; sed si actus alicujus naturalem moralitatem eruere cupis, fingendum statim, ejusdem exercitium ab omnibus hominibus introduci & recipi. Ad (9) Resp. (1) quod status hominis (prout, vox hæc denotat speciem) extra omnem omnino societatem, sit status fictus, & non dabilis, cum non possit subsistere genus humanum absque socialitate, proinde quoque Jus Nat. absque vlllo vnquam ejus exercitio, in præsentî generis humani statu, merum non ens. Quod si autem vnum vel alterum velis concipi indiuiduum, quod forte extra societatem degit, manet tamen inclinatio communis a DEO ipso indita ad ipsam socialitatem, quatenus homo citra societatem non potest esse beatus: adeoque idem jus Nat. est extra societatem, quod in societate quoad actum signatum, id est, si in natura sua consideretur. (2) Resp. in eremitis quoque amorem socialitatis omnino deprehendi, potissimum, si tædium rerum præsentium causa vitæ solitariæ fuerit, tunc enim non tam societati, quam turbis se subtrahunt. Sin autem misanthropos in medium produxeris, hi ipsi extra societatem constituti, itidem miseri forent, cum nil quicquam deprehensuri, in quo odium suum excolere possent. Conf. *Dn. Thomas. J. J. D. Lib. 1. Cap. 4. §. 57 seqq.* (3) Resp. congenitum homini, ante societatem omnem jus Naturæ, idem illud esse, quod jam in ipsa societate ipsi exercendum. (4) Officiæ hominis quod spectat, erga DEum & erga se ipsum, de illis (si quando sub nomine officiorum erga DEum, intelligas obligationem erga DEum in genere) jam supra aliquot vicibus notauimus, præceptum hoc, DEO pare, esse præsuppositum Juris Nat. quatenus pertinet ad jus diuinum in genere, conf. *supra Cap. 2. §. 1. verb. primum p. 7.* De officiis autem erga se ipsum, itidem in antecedentibus jam notauimus, quod ex socialitate possint deduci. Cum ergo socialitas ex genere humano tolli, vel sublata omni socialitate, jus Nat. absq; homine subsistere nequeat, neq; extra socialitatem aliud detur Jus Nat. quam in socialitate, manet hæctenus firmum atque immotum nostrum principium.

§. 8. (10) Quod concernit dubium, fatemur lubentissime, maxime speciosum hoc esse, quod primo intuitu videri posset offendiculum haud leue assertionibus nostris parere: Et quidem ipse fatetur, *Dn. Thomas, in 7. 7. D. Lib. 3. Cap. 2. §. 221.* solidam hujus rei rationem, & quæ ex sociali hominis natura, vti reliqua præcepta, liquido fluat, assignare, oppido quam difficile esse ex *Pufendorf. de 7. N. & G. Lib. 6. Cap. 1. §. 28.* Tentabimus tamen, ane & eidem satisfacere valeamus: *Incestum* duplicem esse constat, scil. vel inter parentes & liberos in linea ascendente & descendente, vel inter fratres & sorores in linea collateralis: hunc ipsum haud repugnare Juri Naturali, jam supra notauimus, *Cap. 1. §. 3. in fin. p. 5.* *Incestum* in linea recta quod attinet, eundem juri diuino Morali omnino contrarium esse, Christianum nullatenus negare posse, lubentissime agnoscimus: Juri autem Naturali eatenus repugnare, vt quilibet, omnis justitiæ & religionis rudis, repugnantia hujus ex solo naturæ lumine possit satis superque conuinci, hactenus deprehendere nos non posse, fatemur, meliora edocti lubentissime veritati cessuri. *conf. Beeman, in Meditat. Polit. Cap. 7. n. 13. ibi: quanquam causam, qua parentes & liberi separantur, necdum sua destituat obscuritas &c.* qui cæteroquin sententiæ nostræ contrarius. *jung. Pufendorf de 7. N. & G. Lib. 6. Cap. 1. §. 28, 29, 30.* vbi respondet ad dubia, de affectuum repugnantia, & de pudore naturali, moueri solita, quo de etiam vide sis *Mev. Prodr. Jurispr. Gent. Comm. Dissect. 2. §. 12. p. m. 71 seq. Ziegler ad Grot. de 7. B. & P. Lib. 2. Cap. 5. §. 12.* vbi respondet ad dubium, quod à reuerentia parentibus à liberis debita desumi solet, *jung. Schilter manu duct. Philos. moral. ad Jurisprud. Cap. 4. §. 46. Thomas. Institut. Jurisprud. diuin. Lib. 3. Cap. 2. §. 220. seqq. usq. ad fin. d. Cap. Promiscuos concubitus Juri Nat. etiam ex principio nostro repugnare, supra demonstraui in responsione ad rat. dubit. 7. p. 20. seq. Adulterium inter illos actus referendum, quorum exercitium, ab omnibus hominibus introductum & receptum, ita est comparatum, vt inde societati humanæ fata maturentur, adeoque ex principio nostro Juri Nat. repugnare, vel vnica confusionis seminis meditatio sufficienter ostendit. Idem de *sodomia* in sensus fere incurrit, & deductio ejusdem perquam facillima futura, nisi scelus esset, quod non proficit scire, prout eleganter loquuntur Imperatores in *l. 31. C. ad L. Jul. de adulter.* Dum enim sexus perdit locum, societatis humanæ fata juxta regulam propositam omnino maturanda, & ge-
nus*

nus humanum intereundum, nemo negauerit. *conf. responsio ad rat. dubit. 8. circ. fin. jung. Can. 13. Caus. 32. qn. 7. Polygiam, seu potius, Polygyniam, (de polyandria enim, quod à natura hominis rationali ac sociali abhorreat, ac confusionem itidem seminis inducat, facile patet) Juri Nat. extra casum specialis pacti, haud repugnare, neque ad ejus objectum referendum censemus. Conf. Thomaf. J. J. D. d. Lib. 3. Cap. 2. §. 209. seqq. Schilter. manuduct. Philos. moral. ad Jurisprud. Cap. 4. §. 39. sequ. Pufendorf. de J. N. & G. Lib. 6. Cap. 1. §. 17. ubi iudicium penes lectorem relinquit. Hoppius in Commentar. Instit. ad tit. de nupt. §. 6. p. m. 107. seqq. Dissentit Dn. Titius in Obseruat. ad Pufendorf. de O. H. & C. Obs. 488. p. 504. seqq. Becman. in Conspect. Doctrin. Polit. Cap. 8. p. m. 41. n. 5. Ziegler ad Groc. de J. B. & P. Lib. 2. Cap. 5. §. 9. p. 272. jung. Kulpis Exercitat. 4. Colleg. Grotian. §. 6. in allegat. Solennes bellorum indictiones quod spectat, missiones Legatorum, usus certorum armorum, & similia, ad Legem proprie dictam referri nequeunt, neq; ad Jus Nat. spectant, sed ad consuetudinem inter Gentes receptam referenda, quæ in terminis nudi moris subsistit. *conf. Titius in Obseruat. ad Pufendorf. de O. H. & C. Obs. 91. §. 16. n. 6. p. m. 163.* Ad (11) Resp. neque nos defendere, ea sola esse justa aut injusta, quæ conueniunt, vel non conueniunt cum vita hominis rationali & sociali, scil. simpliciter & absque addito: Datur enim præter jus Naturale etiam jus diuinum, & positium, ex quo ea, quæ ex lumine rationis nostræ hauriri nequeunt, omnino supplenda. Nobis tamen hac vice, fines præscriptos dum haud licuit egredi, sufficere debuit, ea indicasse, quæ Jure Nat. justa vel injusta cuilibet sanæ mentis ad oculum patere possunt.*

Hic fuit scopus Dissertationis nostræ, an eundem attigerimus, non à nostro, quod domesticum, proindeque suspectum, sed à Tuo L. B. qui solius veritatis es amans, dependet testimonio & iudicio, cui nos, qui nil nisi veritatem quærimus, lubentissime subjicimus. DEO autem T. O. T. M. pro benignissimo in meditationibus hisce Philosophicis, (quarum utilitatem exponit Illustr. Dn. Seckendorffius im Entwurff oder Versuch von dem allgemeinen oder natürlichen Recht / qui annexus est ipsius Orationibus Germanicis p. 440. §. 16. allegante Dn. Thomasio in Dissertat. præmial. J. J. D. præmissa §. 53. p. m. 72.) auxilio, submissas decernimus ac persoluimus grates omnino debitas, eique studia nostra commendamus.

TANTUM.



Delineatio præmissæ Dissertationis.


Cap. I. §. 1. proponit quæstionem controuersam, an Jus Gentium sit idem cum Jure Naturali, an vero ab eodem differat? §. 2. examinat quæstionem, an Jus diuinum morale, sit idem cum Jure Naturali, an vero ab eodem differat? §. 3. tradit quæstionem an Jus diuinum Leuit. cap. 18. & 20. prohibitiones nuptiarum exprimens, idem sit cum Jure Natur. an vero ab eodem differat? §. 4. docet quodnam sit Jus Natur. de quo nos querimus.


Cap. II. §. 1. exponit quodnam dicatur principium Juris Natural. verum, primum, unicum, adequatum, & euident. §. 2. recenset diversas de principio hoc Ddorum opiniones: & quidem (I) eorum qui volunt fundamentum Juris Nat. consistere in conuenientia cum ordine & fine Creaturarum. (II) in jure mundi & ejus ordine. §. 3. eorum (III) qui principium juris Nat. constituunt communem omnium Gentium obseruantiam, vel etiam plurium, ad minimum maioriorum. (IV) naturam primitus concreatam, integram, & incorruptam. §. 4. eorum (V) qui statum naturalem hominum, volunt statum belli. (VI) eorum qui primum principium faciunt voluntatem & jussam Creatoris. (VII) eorum, qui ex præceptis Noachicis Jus Naturæ deducunt. (VIII) ex socialitate. §. 5. eorum (IX) qui in philantia

Et socialitate principium primum Juris Nat. constituunt, aliorumque, qui v.g. ex sola utilitate, ex cultu diuino, ex amore DEI Et hominis, principium Juris Nat. deriuant.

Cap. III. §. 1. ostendit sententiam (Imam) Capitis preced. §. 2. adductam, haud suppeditare principium (a) verum, (ubi tangitur questio an in bruta cadat Jus Nat.) (b) adequatum, (c) euidentem. Idem dicendum de (II^{da}) sententia, scil. nec hanc euidentem: neque satis firmam rationem, qua probare vult Veltbuius conseruationem sui, esse principium Juris Nat. §. 2. (III^{am}) sententiam haud proponere principium verum Et satis euidentem. (IV^{am}) principium verum Et adequatum, sed non satis euidentem in foro Philosophico, quod cum Theologico non confundendum est. §. 3. (V^{am}) principium veritatis haud conueniens. (VI^{am}) itidem haud satis cuilibet homini euidentem, et Et (VII^{am}) Ratione (II^{xi}) principii XI adducuntur argumenta in contrarium. Quoad (IX^{am}) philantiam socialitati subordinandam. §. 4. nostram proponit sententiam. §. 5. respondetur ad rationes dubitandi 1. 2. Et 3. §. 6. respondetur ad rationes dubitandi 4. 5. 6. Et 7. §. 7. respondetur ad rationes dubit. 8. Et 9. §. 8. respondetur ad rationes dubitandi 10. Et 11. Et examinatur an incestus, promiscui concubitus, adulterium, Sodomia, polygyuia repugnent euidenter Juri Naturali.







542

io præmissæ Dissertationis.

. proponit questionem controuersam, an Jus sit idem cum Jure Naturali, an vero ab eodem? §. 2. examinat questionem, an Jus diuinum idem cum Jure Naturali, an vero ab eodem differt. tradit questionem an Jus diuinum Leuit. cap. 20. prohibitiones nuptiarum exprimens, idem sit cum Jure Natur. an vero ab eodem differat? §. 4. docet quod Natur. de quo nos querimus.

Exponit quodnam dicatur principium Juris Naturalis, primum, unicum, adequatum, & euidens. et diversas de principio hoc Ddorum opiniones: (I) eorum qui volunt fundamentum Juris Nat. in conuenientia cum ordine & fine Creaturarum, & re mundi & ejus ordine. §. 3. eorum (III) qui volunt fundamentum Juris Nat. in necessitate, & in necessitate Gen-erantiam, vel etiam plurium, ad minimum modum. (IV) naturam primitus concreatam, integram, & inextinguibilem, volunt statum belli. (VI) eorum qui primum volunt fundamentum Juris Nat. in voluntate, & in voluntate Creatoris. (VII) eorum qui volunt fundamentum Juris Nat. in socialitate, §. 5. eorum (IX) qui in philantropia